

10  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9



2872

Q. D. B. V!

33.

1.

FACIES

JURIS PUBLICI  
HUNGARIÆ,

1666, 6.

PRÆSIDE

JOHANNÉ GRAVIO,

U. J. D. & P. P. h. t. Facultatis  
Decano,

4A

*Publico examini submissa*

Die Augusti,

*loco horuque solitis,*

a

JOH. ANDREA LOCHNERO,  
Sempr. Hungaro,



TUBINGÆ,

Typis JOHANN. HENRICI REISI,  
ANNO M. DC. LXVI.

25.

6. m.  
in noi.  
n. 288.  
b Præ-  
us in-  
pac ra-  
escribe-  
scr. in  
(modo  
eri fu-  
on de-  
neredi-  
a com-  
ur. fur.  
. Gail.  
uitatis.  
ne vid.  
s fidei-  
leg. l. s.  
C. J. A.  
usa do-  
l. junct.  
adierit.  
trans-  
h. in d.  
t regu-  
& non  
nostra  
uorsum  
n. th. 31.  
uirente  
De ju-  
integra  
voc. don.  
z C de  
ulli vi-  
s dictis  
em, ita,



V I R I S  
G E N E R O S I S , N O B I L I S S I M I S ,  
*AC PRÆ STRENUIS,*

DOMINIS,  
DN. GEORGIO GRAAD,  
Regiæ Liberæque Civitatis Sem-  
pronienf. Consuli Spectatissi-  
mo,

*ac*

DN. JOHANNI SERPILIO,  
Ejusd. Civitatis Syndico me-  
ritissimo,

Dominis suis Fautoribus ac Promo-  
toribus submissa animi veneratione per-  
petuo observandis,

*Salut.*

*Salutem & Observantiam!*

**R**iennium est Viri Amplis-  
 simi, à quo ætatis meæ anno deci-  
 mo quinto Germaniam primum  
 hospes salutavi. Martem fugi,  
 ut literas sectarer, & cum arenam bellicam  
 deseruissem, bonarum artium mercaturam  
 in alieno solo frequentare conatus sum. Meo  
 imprimis commodo, dum nullum esse puta-  
 bam, quod Patriæ non impenderetur. Pa-  
 triam reliqui, & exul factus sum, imò pa-  
 triam reliqui, sed ipsam exulantem & calami-  
 tosam, ut florentiorem aliquando reviserem.  
 Itaque & hîc Sempronium meum vidi & vos  
 Patronos meos, quos coram semper ac velut  
 oculis meis obversari aut gesta mea dispicere  
 arbitratus sum. Ergo Tubingæ primitias  
 meas in publicum protrusi, ut Vestrum Fa-  
 vorem lucrarer, in *Germania* disputavi, sed  
 de *Hungaria*. Eò majore conatu, quod Pa-  
 triæ ignorare statum majus esse dedecus opi-  
 natus sum. Non itaque *Biragus*, *Regis Gal-*  
*liæ Cancellarius*, Gallicarum rerum ignoran-

A 2

tiam

1.

12

tiam sine crimine excusat ( *Thuanus l. 63.* )  
 & merito Civitate indignus est, qui Civico  
 officio non defungitur. Civem nempe me  
 præstiti, & cum ad eruditionis laudes non pos-  
 sem, bonitatis ad gloriam adspiravi. Nec  
 deterruit me eorum multitudo, qui multis  
 de hac materia satis atque insuper scripse-  
 runt, ut actum agerem, quod vetamur vete-  
 ri diverbio. Itaque cum quisq; fere in hunc  
 Oceanum situlâ aut vase suo congefisset  
 lympham, si puram non potui, si non claram,  
 vel argenteam ( ut vocant Poëtæ ) turbidam  
 hausi, neque adeò indignam rebar, ut effun-  
 deretur. Sed Patroni quærendi erant, qui-  
 bus inscriberetur hoc opusculum, & cum plu-  
 res non defuissent, majores quam vos inve-  
 nire non potui. Suscipite ergo hoc debitæ  
 gratitudinis meæ munus, levidensæ, si ope-  
 ram, si res, pium, si animum spectetis, ma-  
 gnum. Sic in posterum quoque, ut hacten-  
 us, favete

VV. GG. NN.

*submississimo Clienti*

AUTHORI.



1.

**C**um in omni tractatione verborum prius habenda sit ratio *l. 1. ff. de reb. cred.* de notatione *nominis Hungarici* pauca præmittere lubet. Sit igitur

C A P. I.

De

*Etymo & Synonymia Vocis Hungarorum.*

**D**icuntur Hungari vel ab HUNGARE, duce Hunnorū; quod vocabulū Sarmaticā linguā strenuum denotat, Besold. de Regno Hungariæ ejusque jure membr. 2. c. 4. p. 17. vel à voce Turcica *Hunchar*; qui Regum titulus est, Nadany flor. Hungarica. l. 1. c. 15. p. 15. vel à Regione, qua primitus egressi sunt, quæ *Juharia* & eadem est cum *Patschatir Monachorum*, ut tradit Elinus, vel ab ipsis *Hunnis*, qui transfuso in provinciam nomine Hungariam appellaverunt, Barclaius in Satyr. p. 4. c. 8. quasi *Hunnari*, Nadany c. 14. p. 40. *Ungorii*, *Ungri* & *Ugri*, quod Croatico *Vugrin* respondet ap. Ammian, Marcellinum, Alias *Pannonnes*, vel à *Bannone*, *Hunno*, vel à *Pannone*, monte *Hungaria*, qui vulgo *Martinsberg* appellatur. Münster. *Cosmograph. tit. Sarmatia*, & *Pæones*, à *Pæone*, Antari filio, quamvis haud satis Historicè, Item *Avares* & *Chazari* ap. Barthium *Advers.* l. 15. c. 13.

A 3

Verna-

12



Vernaculâ linguâ Ungarum *Magyar* dicimus, quasi *Magorem*, vel à *Margare*, cujus fit mentio apud Praxagoram, Scriptorem Ionicum. *Persæ Turcas* nos vocant; sicut præter *Zonaram*, *Simocattâ*, *Nicephorum*, aliosq; testatur *Cuspinianus c. 1. de origin. Turcarum*. Hincq; distinctionem enatam esse dicunt, qua *Turcas in Orientales & Occidentales* adeoque in *Turcas & Hungaros* dividunt; *Nadany d. c. 15. p. 45.* Aliis linguis eodem ferè aut paulò immutato nomine veniunt. Gallis *Hungarus* est *Hongrois*. Et hæc de notatione nominis Hungarorum. Sequitur

## CAP. II.

De

*Regno Hungaria.*

Quod dicimus esse *Regnum speciale, liberum, Electivum,* quod *summa potestate ad commune bonum gubernetur.*

Dudum quidem agitata quæstio est, *an feudi titulo aut alio quodam nexu sub Imperii ditione contineretur?* Placuit id nonnullis, quibus ratio est, quod aliquando *Sceptra Romana* agnoverit. *Paurmeister de Jurisd. c. 4. n. 26. & c. Arnisæus de Jur. Majest. l. 1. c. 2. Reinking. de Regimin. secul. & Eccles. l. 1. cl. 2. c. 9. n. 46. Goldast. de Regn. Bohemia l. 2. c. 15.* qui illam & *verum* in *Electioe Imperatoris* habuisse dicit; neque ita dudum repetiisse *Gabrielem Bethlenum.*

Alii *Hungariam in Papæ clintelam* à *Stephano Rege* delatâ esse asserunt. *Steuch. l. 2. de donat. Vietor de exempt. conclus. 2.* Cum enim antea fere *Ducibus* aut *Capitaneis* vel *Imperatoribus militiæ* usi fuissent *Hungari*, *Stephanus Rex* à *Sylvestro II. Pontifice* per *Astricum*,  
Stri-



Strigonensem Episcopum, coronam & duplicem Crucem, quæ hodie regni insigne est, antea enim Attilæ insignia, Aquilā coronatā, habuerunt, Casp. Ens *l. 1. rer. Hungar. p. 40* impetravit, Petr. de Reva, Com. de Thuroz. *cent. 1.*

Turcam quoque in *Dominum Feudatarium* adscivit Johannes Zapoliay vel Scepusius, coronatus ab Archiepiscopo Strigoniensi, Paulo de Varda, Anno 1526. Idem fecisse nonnullis videtur Ferdinandus 1. utpote qui annuam ei pensionem 30000. ducatos constituit; ut videre est ex *Epistola Ebraamii Solymanni ad Imperat. Ferdinand.* qua ad fin. *Epistolarum Busbequii addita est. vid. descript. Turciæ Lazari Soranzii, Patricii Veneti p. 263.*

Et adhuc dum transmissa sibi munera pro tributo Turcam accipere tradit Bodin. *l. 2. de Republ. c. 6.* Forstner. *suppl. not. ad Tacit. annal. l. 1. p. 554.* Salomon Schweiger *Orientalisches Reisbuch 12.*

Verius tamen & rectè libera est Hungaria, nec Pontifex, nec Imperator, ut Imperator, nec Turca ullum in eam Jus habet. *Besold. d. l. c. 5.*

Ab Imperio enim exemptam esse testatur Recessus Imperii de anno 1566. *S. über voriges haben Uns Churfürsten/ ibi: da solche Landschaft (Hungaria) im Heiligen Reich Teutscher nation nichts verwandt oder zugethan. vid. Speidel. Notabil. tit. Exempt. p. 267. Comitolog. Ratisbonens. de Ann. 1654. p. 224.*

Papam dudum explosumus, cum vel ex ipsis Pontificis sint, qui temporalem ei in Reges & Principes Jurisdictionem denegent. Wilhelm. Ferdinand. ab Effetem *Manual. Politic. p. 320.*

Nec sufficit Stephani Regis factum, quo se Papæ devovere volebat. Sicut Ramirus, Rex Arragoniæ, alique complures Papæ feudatarii esse voluerunt, tanquam  
qui

1.

12



qui honori & felicitati sibi ducerent, quod coronæ suæ tributo pendendo essent obnoxia. *Savedr. symb. 94.* Itaque *Ecclesiam regat ille suam*, inquit *Fridericus I. Imper. ap. Gunther. l. 6. divinaque Jura temperet, imperium nobis fascesque relinquat.* Idemque, quod *Woldemarus, Rex Daniæ*, concise & eleganter Pontifici, eum ad subjectionem hortanti, respondit, inferimus: Notum tibi facimus, vitam nos habere à DEO, Nobilitatem à Parentibus, Regnum à subditis, fidem à Doctoribus, quam si nobis invides, remittimus per præsentem. *Cedren. in Compend. Histor. vit. Constantin & Iren. vid. de his singular. Quadripartit. Hungar. part. 1. t. 3.*

Sic & *Turca* nullum in nos est Dominium. Etsi enim ipsemet expensiones istas (ut vocamus) instar tributi accipiat, munera tamen hæc nullam subjectionem inducunt. *vid. Otton. Jur. Publ. c. 7. Reinking. de R. Secul. & Eccl. l. 1. class. 2. c. 2.* Sicut non immeritò *Johannes ille Scepusius*, quod se Vasallum Turcicum nominaverit, sepulchro Regum erutus & Albæ in suburbii templum Sancti Michaelis reconditus est. *Thuroz. cent. 6.*

Porro Electivum esse Regnum HUNGARIÆ, à multis vocatur in controversiam, cum & à multis successio *Jure Hereditario* prætenta sit, inquit *Bes. d. membr. c. 6.* Id quod magnorum semper malorum in Hungaria causa extitit. Cum enim sua privilegia mordicè teneant, ut ait *Savedr. Symbol. Polit. 81. p. 649.* in servitutem Turcicam abire quam Regis sibi electionem extorqueri maluerunt. *Clapmar. l. 1. c. 14. p. 25. Besold. Politic. l. 2. c. 5.* Id quod inter alia mutui belli incitamenta contra *Ferdinand.* rationis loco promulgavit *Botskajus, Nadany flor. Hung. t. 2. p. 378.* Electivum itaque

que est Regnum Hungariæ; Tametsi aliàs non semper, quæ regna *electiva aut successoria* sint, constet. Besold. l. 2. *Dissert. Nomico Politicar. dissert. 1. in princ.*

Sunt vero Electiva Regna *triplicia*: vel enim (1.) nullo discrimine, nobilis an ignobilis, domesticus, an peregrinus, in communitatem Electionis vocantur, vel (2.) ex certo hominum genere; sicut Imperii Germanici clavum tenere non potest, nisi Germanus; *Aurea Bulla. tit. 2. Thuan. l. 2. post. princ.* vel (3.) ex domo certa Regia; sicut in Dania quondam Oldenburgica, in Polonia Jagellonica. Besold. *dict. Diss. §. 24.* Tale est Regnum Hungariæ, quod, cum Duces AUSTRIÆ sibi affiniores habeat, illam domum *in subsidium contra inimicam potentiam* Principatui suo elegit. Forstner. *suppl. not. ad Tac. l. 2. ann. p. 565.*

De forma Regni Hungarici si quærat, *Monarchicam* esse liquet, sed non *Domiticam*, verum *Regiam*. Besold. *d. D. §. 12.* Monarchicam, sed cum Aristocratia temperatam, *cum summa potestas legum saluberrimo pharmaco leniatur*; quam Rerumpubl. formam præ aliis extollendâ esse statuunt Richter *Axiomat. Polit. 57.* Bertrâ *de Polit. Judaic. c. 2.* Osorius *l. 8. de Reg. Institut.* Rupert. *Diss. ad Val. Max. l. 4. c. 1. §. 11.* Dn. Bœcler. *ad Herodian. l. 6. c. 1. p. 441.* Quamquam olim Stephani II. Regis temporibus *Tyrannicam* obtinuisse probare conatur Melchior Junius *p. 1. quest. Polit. 2. p. 6. Et hæc de Regno*

B

CAP.

12

## CAP. III.

De

*Rege, insignibus Regni, Electione & Coronatione.*

**R**ex Hungariæ primus fuit *Stephanus*, antea enim ducēs solummodo, uti dictum est, habuerunt, quos *Cachamios* vocavere. Petr. Greg. *Synt. Iur. Univers.* l. 18. c. 2. Inciditque initium Regni in ann. 1001. *Nadany d. tract. non in ann. 381.* Sicut ii statuunt, qui primum Hungariæ Regem *Balambrum* faciunt. Reliquorum Regum seriem descripsit *Michael Ritius l. de Regib. Hungar. qui à Sambucco editus est in Append. ad Bonfinium.*

Quamvis autem mixtâ, ut diximus, formâ Rex noster imperet, nemo tamen summam potestatem ei denegabit. Etsi enim legibus fundamentalibus adstrictus sit, nec quidquam in arduis negociis agere soleat sine consensu optimatum, *Thuroz. Chron. Hung. c. 84. Frolich. contin. Itiner. c. 29.* Monarcha tamen est, & solus regnare intelligitur, cum pars illa præponderet, à qua Jure ei nomen; *Lipsius l. 2. Polit. c. 2. Tholosanus l. 5. de Republ. c. 1.* nec Rex aut *Dux vincetus* est, sicut Ducem Venetum (Il Doge) proverbio vocant Itali. *Boxhorn. l. 1. Polit. c. 4.* Hinc *Majestatis Regiæ, Sacratissima Majestatis* etiam in Rege nostro vocabula, ideo à magnitudine & divinitate desumpta, ut decus, reverentiam, imperium, amplitudinem & dignitatem status eminentioris denotent. *Richard. de summ. potest. § 2. D. Wurm. Exercitat. Iur. publ. 3. q. 2.* Hinc Reges olim Hungariæ, teste *Ottone Frisingensi*, nemo non solum manifestis con-

tradi-

tradictionibus exasperare, sed etiam occultis susurris lacerare impune audebat.

Modernus Rex noster est *Leopoldus*, Romanor. Imper. gloriosissimus &c. *natus Ann. 1640. d. 9. Iunii, electus in regem 1655. die 16. Iunii, coronatus in templo Sancti Martini Posonii d. 27. anni & mens. ejusd. cui, cum in eas angustias redacta sit pristina regni nostri gloria, ut id Rege, eodemque simul Oeconoſmo summe opus habeat, per ea quæ in simili profert Mauualap. Georg. Phranz. Protovest. Constantinus. perpetuam felicitatem, augustissimæ domus incrementum, victoriam & bona omnia & omnia bona iterum iterumque apprecamur. Tantumque de potestate Regis.*

Ad aptitudinem eligendi pertinet *sexus*; ubi quæritur, an *Regni Hungarici fœmina sit capax*? De gynæocratia multi in *utramque partem* disputarunt Lips. l. 2. Polit. c. 3. Schonborn. l. 2. Polit. c. 12. Jun. part. 1. quæst. Polit. 13. Bocer. class. 5. disp. 8. &c.

Et in aliis quidem Regionibus usu invaluit, in aliis vero plane rejecta est. Galli ex legis *Salica* constitutione Imperium suum ad colum devolvi non debere ajunt. Boxhorn l. 2. Polit. c. 2. inf. Hotomann. in Franco. Galliac. 10. & 11. Sicut olim apud Romanos & Athenienses fœminarū in comitiis nulla ratio habita est. Alexander ab Alex. l. 4. c. 3. Receptam tamen aliquando fuisse ab Hungaris, sed quam ægre, patet ex isto Gallici Scriptoris: *Quand Loys Roy de Hongorie deced a. laissant in seule fille, nomme Marie, les Hongrois, ne pouvoient bonnement gouster que leur couronne tombast en quenoville & defait pour monstrier combien cela leur estoit à contre cœur, parlans leur Royne, ils en faisoient un Masculin, P'appellants le Roy Marie. Estienne Pasquier recherch de la France livr. 5. chap. 25.*

Tum & ex eo planum est, quod, cum *Maria* hæc consilio *Nicolai Gara*, *Palatini*, omnia Regni negocia, sed malè, administrasset, à Regia administratione deposita, in solium verò rursus, postquam *Sigismundo* Regi nuperat, restituta fuerit. *Thuroz. cent. 5.*

*Causa Efficiens* potestatis Regiæ prima est *DEUS*, à quo omnis est potestas. *Roman. 13. vers. 1. Esaiæ 45. v. 1. & 12. 1. Pet. 1. v. 13.* Inde pie olim Romani Imperatores & Reges, *Deorum providentiâ*, hodierni *DEI gratiâ*, *von Gottes Gnaden* constitutos se esse scribunt, *Wesembec. ad princ. præm. Inst. num. 3. Bodin. de Republ. l. c. ult. vid. Reinking. d. l. class. 1. c. 2. Dn. Mylerus Disp. Inaugural. p. 1. c. 25. n. 34. in pr.*

Secundaria est *Electio*, quæ fit à Regnicolis, jus suffragii habentibus; inter quos primum locum obtinet *Palatinus*. *Thuroz. cent. 6. fol. 88.*

Fiebat hæc *Electio* olim in *Comitatu Pesthiensi*, loco ob id apud Ungaros fama inclyto, *Besold. d. Diss. c. 6.* Hodie *Posonii*, quæ est Metropolis inferioris Hungariæ; quanquam & *Sempronii* sæpius celebrata esse comitia, & *Ferdinandi II. Conjugem* in *Reginam Hungaria* coronatam Ann. 1622. satis constet. *Zeiler. Descript. Hungaria. p. 366.*

*Electio* hodierna ritus & modum fusius descripsit *Pierre d'Avity*, *Dominus de Momartin* scriptor Gallicus p. 840. &c. quid vero antiquitus obtinuerit narrat *Casp. Ens l. 1. p. 18.* Qui *Comitiorum*, inquit, quibus de Rege creando ageretur, hæc olim erat ratio. *In campis Pestho* propinquis omnium ordinum, quibus suffragii ius, homines, constituto die frequentes conveniebant, omnibus aut maxima parte in *Electio* nem Regis consentientibus; post faustas populi novo Regi gratulantis acclamationes, dies *Albam Regalem* indicebatur.

Quæ

Quâ die primum Episcopus Strigoniensis, pro latis Regis insignibus, presentem multitudinem, utrum Regem hunc sibi dari vellent, percontabatur; Ubi assenserant, obedientiamque erant, polliciti, idem Regem officii commonefaciebat, & dato utroque iuramento, solio impositum coronabant. Eum deinde Episcopi & Proceres è templo in Regiam deducebant, Stephani I. vexillum, armaque, in eum usum asservata præferentes. Et hæcenus ille. vid. etiam P. Jovius, tom. 2. lib. 28. p. 269.

Consequentia Electionem primo est *Iuramentum*, seu obligatio quædam, qua se Rex ad bonam rectamque administrationem obstringit; part. 1. tit. 9. & fit stricto gladio in universas mundi partes. Bonfin. dec. 4. l. 9. Eius formula est ap. eundem d. dec. l. 10. & Henn. Arnisæ. de l. M. l. 1. c. 6. p. 183.

Ubi quæritur, an *Iuramentum hoc Majestatem Regis impugnet?* Et sciendum est, ubique fere terrarum jusjurandum à Regibus coronandis præstari solere. Mexicanorum mos est, inquit SAVEDRA Symb. Pol. 13. p. 96. si quem Regem novum inaugurant, jusjurandum ab illo postulare, quod iustitiam sit administraturus, non oppressurus subditos, futurus in bello fortis ac strenuus &c. Idem observatur in Hispania, Gallia, Anglia, Bohemia, Dania, Polonia & aliis Regnis, stante etiam absolutissima Monarchia, Reinking. de R. S. & Eccl. l. 1. class. 3. c. 9. Itaque non præjudicare summæ potestati dicendum est, v. Daniel Otto lux. publ. c. 7. p. 137.

Secundo *Insignium traditio & coronatio*. Traditione insignium simul & Jus in Regno transferri creditur. Clapm. l. 3. c. 9. p. 96.

Sunt autem Regni Hungarici insignia, *sceptrum eburneum inauratum, orbis figura aurea, pallium regale, tunica & calcei, omnia lapillis preciosis & unionibus ornata, tum*

& Corona, cælo, ut fabulantur Hungari, D. Ladislai, Pannonia Regis, temporibus demissa. Thuanus l. 9. p. 416. quæ ob id sacra appellatur & à duobus Regni Procetibus (quorum juramentum vid. in Concordia Regni Posony. conclus. 1491.) custoditur tantaque veneratione colitur, ut Michael Orsagh, vir prudentissimus, dixisse feratur: *Quemcunque sacra corona coronatum videris, etiamsi bos fuerit, adorato & pro sacrosancto Rege ducito & observato.* Bonfinius dec. 4. l. 3. p. 588. Junius p. 2. q. Polit. 70.

Asservabatur diadema istud olim in arcē Vicegrad, P. Ranzan. Epitom. Rer. Hung. p. 207. hodie v. in arcis Posoniensis certa quadam turri, quæ versus Austriam edificata est, & custoditur ab Heyduckis, quorum, ut diximus, Generales sunt duo Regni Proceres, qui conservatores Corona, Cronhüter appellantur; Zeiler. d. l. p. 194. nec è regno etiam ipsius Regis voluntate efferi potest. ex Artic. 2. An. 1627. & Ann. 1638. art. 1. itemque art. 1. A. 1659.

Et hac corona nisi coronatus, pro legitimo Rege non reputatur; quamvis Vladislaus, Rex Polonia, in Hungariæ Regem electus, non hac sacra (Elisabetha enim Imperatrix secum eam abstulerat) sed alia, quæ forte in reliquiis Stephani Regis deprehendebatur, coronatus sit. Thuroz. cent. 6. Casp. Ens l. 3. p. 113.

Illud memorabile est, quod idem Thuroz ait, Reginam, non ut aliàs regem, capite coronari, sed coronâ saltem dextrum ejus brachium attingi. cent. 5. in vit. Mariae.

Huc pertinent Regalia, sic dicta, quod Regi competant, vel quod à regibus usurpata. Dionys. Gothofredus in c. un. qua sint regal. 2. f. 56. lit. b.

Et habet Hungariæ Rex Communia fere cum aliis, quæ



quæ hic tractare nimis longum foret. De quibus *suffissimè part. 1. Quadripartiti. t. 2, 3, 5. &c.*

## CAP. IV.

De

### Palatino & Comitibus seu Statibus Regni.

**P**roxime Regis potestatem sequitur *Palatinatus*, quondam in Imperio Romano observatus, ut proxima post Imperatorem potentia haberetur; v. Freher. *de origin. Palat. l. 2. c. 1.* Windec. *de Elect. c. 16.* dictus quasi *questura perpetua seu Prætorii præfectura.* Bonfin. *decad. 1. l. 1. p. 5.* Barclaius *de Palatino in Satyr. p. 4. c. 8.* *Insignis est, inquit, apud illos Magistratus, quem Palatinum vocant. Is nihil ex se decernere sed obstare Regi potest, quidquam publicum sancienti, cui postquam suffragio suo intercessit, infirmum est, quod deinde statuitur. Et hunc plurimi colunt tanquam vindicem libertatis, oppositumque Regibus, sicut olim Tribunatus Romanis consulibus potestatis modum fecit.*

Hujus *Palatini officium* pluribus prosecuti sunt Thuroz. *cent. 6.* Befold. *d. Dis. c. 10.* Lumen orbis p. 232. Jongelin. *de Lambert. singulari tr.* quo seriem *Palatinorum* ad Ferdinandum usque primum descripsit, Henn. Arnisæus *de Iure Majest. l. 2. c. 4. p. 317.* Decret. *Matthie Regis de ann. 1485. tit. de offic. Palatinatus.*

Præcipuum ex his & singulare est, quod Regi, in similitudine cum Regnicolis constituto, *Judex ordinatus* sit. *Vladislaus I. de ann. 1485. art. 3.* *Maximil. de ann. de ann. 1574. art. 18.*

Fuit autem institutus *Palatinatus* primum à *Stephano I. Rege*

42

2. Rege, primusque hujus officii fuit *Geba* Anno 1001. post à Ferdinando Ann. 1563. usque ad Ann. 1607. abrogatus in ejusque locum Regii *locum tenentes* s. *Vicarii* constituti sunt, *ob id, quod Ferdinando Regi indignum videbatur, summum lus & supremam potestatem cum socio partiri, cum eo praesertim, qui subditi nomen inter alios Regni cives obtineret.* Thuroz. cent. 1. fol. 88. Et hanc locum tenentiam, ut sic vocem, hodieque urgent clerici, utpote quibus olim competebat, quanquam vano nisu.

Eligitur à cæteris ordinibus in Comitibus publicis Artl. 18. Ann. 1548. & quidem ex quatuor personis per Regem declaratis, personis idoneis & ad officium habilibus, duabus Pontificiis, & Lutheranis duabus. art. 3. Ann. 1608. qui Juramentum suæ fidelitatis coram rege & proceribus deponere debet; ex Decret *Uladislai* Art. 33. sicut modernus noster, *Franciscus Veselinus* de Hadad, perpetuus Comes de Muran, Judex Cumanorum electus est Anno 1655. 15. Januarii in Comitibus Posoniensibus.

Post Palatinum est *Judex Curia*, officio & potestate ei haud multum inferior; ideo Judex Curia dictus, quod vel maxime in curialibus & forensibus dijudicandis versetur & imprimis curare debeat, ut secundum statuta Regni omnia decidantur. Vocatur etiam *pro-Palatinus*; quanquam hoc aliud olim fuerit munus, & comparatur *Mareschallo* in tr. *Lumen orbis dicto*. p. 232.

Ab hoc pendent *Prothonotarii*, quorum in Regno 4. sunt & *principales Indices* appellantur, Bonfin. l. 7. dec. 4.

Hodiernus est *Franciscus de Nadasd*, perpetuus Comes *terra Fogaras*, electus Anno 1665. d. S. *Ladislai*.

Post hunc est *Croatia Banus & Magister Tavernicorum*, cujus officium vid. ap. *Istvamsium* l. 20. ad init.

Et si

Et si hi inter ordinarios Regalis fori Iudices non connumerentur Bonfin; *dec. 4. l. 7.*

Hos insequuntur alii, utpote *Generalis Regni, Personalis, Cancellarii, Regalium Magister, Aulae Praefectus, Thesaurarius &c.* plerique omnes Comites *S. Reguli*, ut Thuanus *l. 9.* vocitantur. Ex quibus principales sunt: *Esterhazy, Battyany, Tokely, Palfy, Illeshazy, Forgacz, &c.* quos penes in negociis regni arduis disponendis non exigua est potestas, atque ob id *Imperii columnae* vocantur, *Befold. d. l. n. 2.* vid. *Goldast. de R. B. l. 3. c. 3. n. 4.* & praefides provinciarum, (quo nomine etiam Germani Principes & Comites vocantur *Bocero c. 3. de Regal. n. 292.*)

Cum plerique diaecesibus aut Comitatus praesunt, *Hinc Bani, Nadrespani, Vayvoda & Capitanei appellantur.*

## C A P. V.

De

### Clericis.

**A**dministratio Regni alia est *religiosa, alia Politica.* *Braudlacht l. 5. Polit. s. c. 1.* Idcirco status etiam duplices sunt, *Ecclesiastici* vel *seculares.* *Befold. Diff. de Magistrat. §. 27.* Firmissima enim fundamenta & praesidia Politiae Christianae sunt *Sacerdotium & Regnum.* *Choppin. l. 3. de dom. an tit. 29. n. 3.*

Sunt vero status Ecclesiastici apud Hungaros *Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Praelati &c.* Archiepiscopi duo sunt: *Strigoniensis & Colocensis.* Hodie sola denominatione sic appellati, cum reliqua Turca possideat; *Episcopatus* alter, si *Ortelio* credimus, adeo opulentus fuit, ut quotannis 15000. ducatorum

C

praefti.

43

præstiterit. p. 1. p. 29. Hodierni Archiepiscopi sunt  
Georg. Lippay & Georg. Zeleptzeny.

Alter privilegio Ecclesiæ suæ summus est *Secretarius* &  
*Cancellarius Regni, Regique Majestatis personalis*; quod anti-  
quis Episcopatus ejus privilegiis constitutum est. art.  
15. Anno 1536.

*Episcopatus Hungariæ sunt decem*, omnes proventibus  
ditissimi, ut vel Principatibus comparari possint; Galeot.  
*de dict. & fact. Matth. c. 11.* ut non abs re sit, quod de *fastis*  
*Bralatorum ex Eberstenio conquestus est Casp. Ens l. 4. p. 108.*

Sunt vero: *Nitriensis, Agriensis, Vaciensis, Quinque*  
*Ecclesiensis, Jauriensis, Gyulienfis, Zagrabiensis, Sirmiensis, Bos-*  
*nensis & Czaniensis*, qui quantum contribuant annua-  
tim *sedi Papali*, vid. Molnar. *Lex. p. 355.*

Gerunt Episcopi *duplicem personam*, Ecclesiasticam  
& secularem, cum Principibus annumerentur, sere-  
nissimi dicantur & in sedem ac consilium Regni vo-  
centur. vid. Galeoth. *d. l. art. 2. Anno 1608. adeoque non nisi*  
*ex nobilibus eligi possint*, veteri instituto, art. 24. *Ula-*  
*disl. septimi.*

Sicut in Imperio Germanico Episcopi in numerum  
Principum Imperii cooptati sunt à *Ludovico 1. Impera-*  
*tore.* Helmold. *l. 1. c. 4. Sixtin. de Regal. l. 1. c. 4. n. 123.*  
*Zagrabiensis Episcopus quidē, cum votum antea in Comi-*  
*tiis non habuisset, singulari privilegio art. 61. anni 1625.*  
impetravit.

Primus in Regno nostro Episcopus fuisse creditur  
*Adalbertus*, qui, ut Bonfinus, vult *decad. 2. l. 3. Pragæ*  
*Geyfam baptizavit posteaque Stephano Regiâ Patre*  
*Geyfatutor datus.* Casp. *Ens l. 2. p. 39.*

Investiuntur à Rege, cui præstant homagium. So-  
lus enim ille hæc beneficia Ecclesiastica deferre potest,  
cui

cui vult, præscitu tamen & consensu Regnicolarum. Sigismund. art. 63. Henn. Arnifæus de iur. Majest. l. 2. c. 6. p. 393. quadripart. p. t. 10. 12.

Idem jus habent Prælati, Abbates & Præpositi, Presbyteri, Capitula; de quorum officio vid. Otton. Iur. Publ. c. 18. p. 609. Wilhelm. Ferdinand ab Efferen. Manual. Polit. l. 4. p. 368.

## CAP. VI.

De

### Comitatibus, Civitatibus & Nobilibus.

Omnia Germania dispersita est in 10. Circulos, ut, quoniam ditiones Principum arte adeo commista erant, discordiis & controversiis obviam iretur, inquit Thuan. l. 2. port. pr. Eandem ob causam, tum & melioris ordinis gratia Hungaria distribuitur in Comitatus s. Præfecturas aut Nomarchias vel diaceses. Besold. m. 2. c. 12 §. 1. Comitatus quidem vocabulum Caroli M. temporibus cepisse putatur; quo præfecti districtuum Comites primum appellati sunt Pratej. Lex. verb. Comitatus. Sacer. Hungarice Ispanfäg, vár megye. Sunt hi Comitatus ap. Hungaros 74. quos è Molnaris Lexico recenset Zeilerus p. 9. Petrus Ranz. d. l. p. 105.

Et sunt: Pösonensis, Mosoniensis, Jauriensis, Soproniensis, Castriferrei, Varasdiensis, Krisniensis, Zagrabiensis, Scaldiensis, Posgainus, Verociensis, Valkoviensis, Sermiensis, Simegiensis, Boroviensis, Komaromiensis, Strigoniensis, Nitrensis, Barsiensis, Trencziniensis, Turociensis, Liptoviensis, Scepusiensis, Sarosiensis, Sömoriensis, Abanyvariensis, Tornensis, Novigradensis, Pilisiensis, Pertiensis, Albæ Regalis, Baciensis, Bodrogiensis,

43

*sis, Toluensis, Beregiensis, Ugociensis, Veszprimiensis, Zolnensis, Arvensis, Ungensis, Zembyensis, Kishevesiensis, Nagyhevesiensis, Hontensis, Szakmariensis, Szabolciensis, Kulsöholnokiensis, Torontalensis, Czanadiensis, Tomösiensis, Bercencensis, Bekefiensis, Zereniensis, Solthiensis, Czongradiensis, Haronensis, Maczoviensis, Orbaciensis, Krasoviensis, Koviniensis, Zebernekiensis, Aradiensis, Szarandensis, Bohoriensis, Középszolnokiensis, Karasziensis, Maramorosziensis, Kolos, Dobocensis, Belsőszolnok, Albenfis, Tordensis, Kikellensis & Huniadiensis; quorum tamen numerum vix dimidium hodie retinuimus, ut ait Wehrner. de admirand. Hung. aqu. cum vix tot oppida sint reliqua, quot olim Regna fuerunt. Casp. Ens l. 4. inf.*

De Præfectis Comitatum, quos *Bahos, Nadrespanos, Vasvodas & capitaneos* vocant, dixi supra; habent hi suos adjunctos *ViceComites, Iudices, Protonotarios, Assessores & Fiscales*, Lumen orbis. p. 232, qui, ubi conveniunt & Judicia peragunt, *in sedem convenisse* dicuntur. **Auff Dem Ungrischen Stul.**

Jam de *Civitatibus*, quæ Latina derivatione à *Civibus*, Germanis v. à *statis* Romanorum, *Stätte* dicuntur. Herold. de stat. leg. in vet. Germ.

Definiuntur *cætus juris consensu & utilitatis communis gratia sociati*, ab Augustin. l. 2. de C. D. c. 21.

Aliàs *Civitas* strictius in Jure dicitur *cætus civium, urbem muro clausam inhabitantium* c. si civitas. 17. de sentent. excommunicat. in 6.

Nos hic *Urbem & Civitatem*, oppidumque (quod in eo solum à *Civitate* differt, quod parva *Civitas* appelletur, Besold. Polit. l. 1. c. 12. n. 55.) pariter accipimus, hacque ratione dividimus in *liberas & non liberas*.

*Libera Civitates*, aliàs etiam *Regia, Königl.che Frey-stätte* appellantur, quales sunt *Posonium, Eperiesinum, Lent-*

*Leutschovia, Sempronium, Patria mea, à Sempronio, Romana militiæ Duce, ut putat Razan. d. l. vel ab Aproniano. Zeiler. p. 185. dicta, aliæque plures.*

Hæ iterum dividuntur; nam aliæ à *situ, montana, Bergstätte*; aliæ à *numero, quinquenaria, die fünff Städte*; aliæ aliter vulgò vocantur.

His annumerantur *Oppida libera*; quale vicinum nobis est oppidum, quod vocatur *Rust/der freye Markt/stecken Rust* &c.

Et hæ Civitates non minimam in Regno Potestatem obtinent, cum statibus Regni annumerentur, ad Comitiam vocentur, territorii etiam Jure gaudeant, & pari cum cæteris statibus in limite suo potestate utantur.

*Non libera* sunt, quæ ad Comites pertinent, illi enim in subditos habent Jus vitæ & necis, vid. *Besold. c. 11. in fin.*

*Arces & propugnacula* aliaque munimenta, (quæ Regnorum sunt *claves*, ut ait *Savedra Symb. Polit. 54.*) multa habuit olim Hungaria; hodie inter potissima censentur *Jaurinum & Comorra*; de quibus videri potest *Zeiler p. 79. & 203. &c.*

Huc accensemus *Nobiles*, qui à Latinis quasi *Nobiscibiles*, *Tiraquell. de Nobilit. c. 2. n. 1.* ab Hungaris *Nemesek* appellantur, & meritò inter fundamenta Regni constituuntur, *Kekermann. Politicor. l. 7. n. 4.* cum toti populi sint generosiores, quo nobiliores. *Freinshem. ad Flor. 11. 12. §. 2.* & *Nobiles* anima plebis, plebs vero absque *Nobilibus* exanimum quoddam cadaver censetur. *Savedra Symb. 66.*

Et sunt in Hungaria non pauci, cum præcipua illis nobilitandi materia & occasio virtutis ac fortitudi-

nis ostentandæ Turca non desit. Militaris enim præcipue virtus mater Nobilitatis esse creditur. Besold. l. 2. Politic. c. 7. n. 3. v. Brunner. l. 1. Annal. Bojor. p. 34.

Dividi autem solent Nobiles nostri in *Nobiles vere, & quasi*; isti sunt *officiales, libertini & consuetudinarii*, ut vocamus; de quibus. p. 2. tit. 27. quibus adduntur ii, qui ignobili stirpe nati nobiles fœminas ducunt, & vulgari titulo *Agiles* appellantur. Tales enim veri nobiles non sunt, cum fœmina nubens ignobili viro Nobilitatem amittat. arg. l. 1. C. de dignit. Harprecht. ad Instit. de Adopt. §. 12. n. 14. Itaq; hic de vere nobilibus agimus, qui nobilitatem suam expressis privilegiis à certo stemmate deducere possunt, quemadmodum apud Romanos *Nobiles novis* hominibus opponebantur. Besold. delibat. iur. ff. l. 1. n. 20. Nobilitas enim hodie maxime nativitate æstimatur; Harprecht. d. §. num. 8. tametsi non tam, qui claritate nascendi, quam virtute excellit, nobilis dicendus sit. Quintil. 5. Inst. Orat. c. 11.

Præminentias Nobilium, quarum Hungari sunt tenacissimi, Barclajus d. p. 4. c. 8. jura & immunitates v. ap. Ranzan. p. 204. Tripart. p. 2. tit. 14. & c.

In Imperio Romano-Germanico nobiles, etiamsi immediate subjecti sunt, Status tamen esse non censentur; quod diversum est apud Hungaros; habent enim *votum* in Comitibus; quod ad essentiam quoque Status requiritur. Reinking. l. 1. class.

8. c. 10.

CAP.



## CAP. VII.

De

*Comitiis.*

Conventus publici dicuntur *Comitia*; à cum & eundo, Schonborn, *l. 4. Polit. c. 33.* quod diversis locis conveniant; in certum aliquem conveniant, Alexander ab Alex. *l. 2. genial. dier. c. 18.*

Dividuntur in *Universalis & Particularia.*

*Universalis* sunt, quando Rex & Status Regni conveniunt. Germanis dicuntur *Landtäge*; Hungaris vulgo *Rakos*; quæ promulgare potest Rex ipse, art. 30. Anno 1609. vel ejus jussu indicit Palatinus, Besold, *d. l. c. 10. §. 2.* qui & primum in iis suffragium obtinet; Thuroz, *cent. 6. fol. 88.*

Quovis triennio regulariter celebrari debent, ut Regni salus, Camera Regiæ proventus & à Turcis impendens malum mature provideatur. Bonfin. *decad. 4 lib. 7.*

Postquam autem Status Regni universim convenerunt, à Palatino rei tractandæ fit propositio & causæ institutorum comitiorum expositio; Dehinc ipsa rei tractatio & vota Statuum; Tum regia revisio; denique confirmatio & promulgatio. Et hæ conclusiones *articuli Regni* vocantur; sicut à Germanis capitulationes, & Recessus Imperii.

*Particularia* sunt *octava*, *sedes Tavernitorum*, *sedes Nobilium ac Comitatum*, ubi minora regni negocia judicantur. Et *octavas* quidem eum in finem institutas esse Bonfinius asserit, ut litium ac judiciorum æternitas inhiberetur; siquidem causæ in quatuor octavis defi-

12

definiendæ, nec nisi à tribus octavis indulta est provo-  
catio d. dec. 4. l. 7.

## CAP. VIII.

De

### Religione.

**R**eligionem *συνεχιστὸν ἀπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας,*  
*ἔπεισμα,* vinculum omnis societatis & justitiæ firmamentum  
vocat Plutarchus apud Bernegg. *observ. Historico-Polit.*  
*XV.* Et recte, ubi enim nullus DEI timor, nulla reve-  
rentia, ibi justitia nulla, & remota hac quid sunt ma-  
gna regna, nisi magna latrocinia? Augustinus *l. 4. de*  
*C. D. c. 4.*

Deum autem esse vel naturâ Ethnicis constitit; &  
quamvis variâ ac superstitiosâ Idololatriâ nonnun-  
quam etiam sexcentos Deos colerent, illos ipsos tamen  
tanquam universi hujus rectores supra humanam for-  
tem elocabant. Ita Hungari, quamdiu Ethnicismo ad-  
dicti fuerunt, *Marta & Herculis* statuas venerabantur,  
iisque *Martis gladius* tanquam Symbolum Regni Sacer  
fuit. Bonfin. *l. 3. p. 50.* Etenim cum bellicosæ hæ gen-  
tes, humaniorum rudes, latrociniiis fere assuetæ, nulla  
numina esse putarent, nisi bellicosa, Martem *præcipuum*  
*Deorum,* ut vocant Tencteri ap. Tacit. *l. 4. Histor. c. 64.*  
Deumque maximum esse rebantur.

Tandem *Geysæ Taxis filii* operâ & instituto primùm,  
post *Stephani Regis & Gisle Henrici* sororis pietate Chri-  
stiana religio Hungariam illustravit; & quanquam sub-  
inde ferme collapsa fuerit, altas tamen adeo, divinâ  
favente gratiâ, radices egit, ut evelli nequaquam po-  
tuerit. Sigebert. *in Chronic.* Inde

Inde Hungari religiosissimi semper habiti, cum fere tot sancti essent, quot Reges, divæque, quot Regum filia. *Andreas* certe hoc solo Zelo impulsus expeditionem Hierosolymitanam suscepit, & cum exiguam prædam retulisset, magnam pietatis gloriam afsecutus est. *Casp. Ens lib. 2. pag. 64.*

Hodie trium in Regno religionum exercitium toleratur, & *Pontificii, Lutherani ac Calvinista* pari hac in re libertate gaudent. Illud falsum est, quod quidam asserit, nullibi terrarum tot superstitionum hæresiumque genera uno eodemque loco, quemadmodum in Hungaria, reperiri. *Author descript. Turcia. p. 93.* Ut ut enim *Anabaptista*, præter eos, quibus Religionis cauta est libertas, aliquibus in locis, præsertim à Comitibus recepti sint, liberè tamen illi superstitionem suam & impietatem exercere non audent, sed solius laboris, quem artificiose callent, ergo in prædiis habentur, cum vel expresse scandalosa eorum doctrina in Regno prohibita sit, ita quidem, ut non nisi extra pagos & oppida, vel certis suis domunculis inclusi contineantur, ne communitas conversationis mali societatem invehere possit. Doctrinam eorum fusius narrant *Lambert. Hortens. contra Anabapt. fol. 7. Stumpf. Chronic. Helvetic. l. ult. c. 40.*

Religionem *Lutheranam* primus Regno donavit *Petrus Perennus*, Magnas Hungariæ, ut tradit *Zeilerus p. 29.* scilicet ut purius esset jubar, quod dudum discussâ nube affulserat. Male enim cavillantur *Jesuita*, Religionem *Lutheranam* in Regnum invecam omnium malorum fontem & fomitem extitisse. *Prateol. in Elench. Hæres. tit. Lutherus.* Factum idem jam olim est *Petri Regis* temporibus ab Hungaris, qui universam  
D chri-

12

ch istianam Religionem detestati omnium calamitatum causam conferebant. Casp. Ensl. 2, p. 45.

Potius ergo de ipsis id asseremus; ut *Georgius Drugeth de Homomia*, qui Jesuitas in Regnum introduxit, hodieque haud laudem mereatur. Etsi ii à Regnicolis ea solum ratione suscepti sint, ut Jura stabilia & possessionaria (ut vocant) habere non possint. *artic. 8. Pacificationis Vienn. de Annor. 1606. d. 23. Junii.*

Qua pacificatione liberum Religionis exercitium omnibus Hungaris, intra ambitum Regni existentibus, cautum est, ne in confessione sua usquam turbentur aut à quoquam turbari permittantur. *d. Pacif. art. 1.* Quod privilegium tribus, ut diximus, Religionibus concessum, aliis & multis denuo privilegiis ratum confirmatumque est.

Huc pertinent Academiae, Gymnasia & Scholae, in quibus primam lac pietatis bibitur, ut ait Thuanus *l. 17. p. 775.*

Et erat olim *Vacia* Musarum domicilium, jam vero quod ejus Vulcanus reliquum fecit, Mars vendicavit, verba sunt Casp. Ensl. 1. p. 13.

Erant & *quinque Ecclesiae*, ubi inclytam olim & perquam celebrem Academiam extitisse, eamque duo studiosorum millia aluisse, testatur Zeiler, *p. 108.* Erat & *Patakinum*, cujus duo illustria lumina, *Comenius & Alstedius*, etiamnum toti literato Orbi in precio sunt.

*Gymnasia* celebriora sunt *Posoniense*, *Scmpronense* & *Eperiesiense*, quæ viris doctis semper & laboriosis constituuntur, quibus tenellus tyro instruitur aptusque redditur,

- - - *ut patria sit idoneus, utilis agris,  
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.*

Juvenal.

Juvenal. *Pat. 14. vers. 41.* Tantumque de *Religione.*

De *Judais* hic lubet quærere, quo Jure apud Hungaros vivant? Trita satis quæstio est, an inter christianos tolerandi sint Hebræi? cum quidam dissentiant, alii vero illos, sed certis cautionibus, ferendos esse asserant. Et profectò, si penitus rem inspiciamus, malè agunt Comites Hungariæ, qui non solum Judæis pagos proprios assignant, sed & privilegiis nonnunquam in fraudem & incommodum christianorū donant. v. Kekerm. *disp. pract. 33. q. 1.* Forstner. *ad Tac. l. 6. Annal. p. 686.*

Melius fecisse mihi videtur *Ludovicus I.* Rex Hungariæ, qui Judæos, quod fidem christianam amplecti nollent, Regno expulit. C. *Ens p. 1. 3. p. 83.* Equidem ad christianismum vi propellendos non statuo; olim etiam principes christiani, si Judæis potuissent imperare, christianam religionem utique imperassent. Sed religio imperari non potest, quia nemo cogendus est ut credat invitus, ait *Cassiod. 2. var. vid. Majol. dier. Canic. tom. 3. q. 1.* Quia vero variarum, ut notum est, fraudum architecti sunt, nihilque magis in votis habent, quam ut Christianos fallere possint, nec jam unius sceleris, sed horrendorum facinorum comperti sint, ut inter alios satis superque testatur *Speidelius in Specul. var. observ. & Notibil. verb. Judai*, receptosequidem tolerandos, sed non recipiendos esse censeo. Gens enim ista post immane occisi Salvatoris nostri *Jesu Christi* piaculum irâ Numinis omni exutâ dignitate & quo cæteris mortalibus ostentui esset, suis ejecta sedibus vaga atque egens, qua lucri fraudumque tuto exercendarū spes ducit, omnibus se terris dispersa effundit, perque omnes ferme urbes prompta dolis pecuniæque vias omnes callens fœneratur. Ita juxta plebs primo-

D 2 resque

1.

42

resque evertuntur fortunis, circumveniuntur atque obruuntur fœnore. Forstner. *d. l.* Recte ergo vires adiuntur hostili populo, & nos pejus, si polleret, mulctaturo, Barclaius *Satyr. p. 4. c. 9. c. fin.*

## CAP. IX.

De

*Militia & fortitudine Hungarorum.*

**R**eligionem non immerito sequitur *Militia*, quæ nisi sit *religiosa*, id est, *justa*, justisque ex causis enata, Latrocinium potius, quam *Militia* dicenda erit. Miles enim cum ferrum stringit ex libidine cœcoque furore, latro est. Multa tulerit feceritque necesse est, qui Jure videri vult tot millia hominum armasse, Patria Deoque iudicibus, quibus nec una gutta sanguinis humani vilis est, ait Otto ap. Brunner. *l. 11. Annal. Bojor. p. 309.* Id quod veteres significare volebant, dum pro *aris & focis*, pro *DEO & Patria* pugnare *παροισμῶς* loquebantur, nec *hostem* vocabant, nisi qui æqua ex causa pugnam iniret, ut tradit Festus & ex eo Taubmannus *ad Plaut. Asinar.* Sunt & belli sicut pacis Jura, justeque ea non minus, quam fortiter gerenda. Livius *l. 5. c. 27.* vid. Savedr. *Symb. 74.*

Et Hungaria quidem in eo primas tenet, cum *murus* sit, pro salute totius Germaniæ oppositus immanitati Turcicæ, inquit gloriosissimus Imperator Carol. V. apud Sleidan. *l. 8. comm. in f.* & Hungari Patroni & Dei quasi tutelares totius Europæ. Bonfin. *dec. 4.* Sed nec rem altius repeto, nec jam Scythas, quorū nos sumus posteri, aut Scythicas mulieres, quas Amazones vocabant,  
hic

hic commemoro cum omnes propemodum Historiae laudibus earum sint refertæ, Diodor. Sicul. l. 4. obs. 3. Curt. l. 5. Justin. l. 2. Magn. l. 1. Hist. Goth. Volaterran. l. 23. Appian. de Bell. Mithridatic. Bonfin. dec. 1. l. 2. &c. adeo, ut nonnulli, quod ultra fidem esse viderentur, quæ ab ipsis scripta sunt, nunquam eas extitisse assererent. v. Arrian. l. 7.

Parentes nostros *Hunnos*, à Scythis originem fortientes, adeo in bellis strenuos & fortes extitisse accepimus, ut eos *Hunnos*, quasi *die Rühne* vocarent. Besold. *Synops. Histor. Universal.* p. m. 202. ac Magicis artibus vincere & vel ex ipso Dæmone prognatos esse crederent. Servin. tom. 1. fol. 721. Jornand. c. 24. Barth. *Adversar.* l. 43. c. 19.

Ipsi Hungari non tam cœli quodam ingenio, ut septentrionales populi, animosiores esse putantur; Arist. l. 7. *Politicor.* c. 7. Sed vel Patrio, ritu mortem contemnere didicerunt, Bonfin. l. 3. p. 49. utpote quibus præter arma audacia est,

- - - *teloque animus præstantior omni.*

Ovid. l. 3. *Metamorph.*

Sic seculum, quod præterit, *Agrienses* Hungaricas mulieres per omnia Historicorum monumenta celebravit, ut in his ipsis veterum *Amazones* admiraremur, Thuan. l. 10. p. 491.

Dividuntur vero communiter Milites Hungarici in *Hussaros & Heydones*, sive Equites & pedites.

Hussaris s. Equitibus præstat Hungaria, & equites hinc meliores esse censentur; C. Ens l. 1. consuetudine forsitan hausta à parentibus, qui adeo equis dediti erant, ut in iis omnia sua negocia peragerent, venderent res

D 3

ac

12

ac divenderent. *Lumen orbis* p. 231. v. Hermann, Hug. *de Militia Equestr.* l. 2.

Hussarorum descriptionem habet Thuanus l. 3. p. 183. His, inquit, *hastæ oblongæ similes nostris, sed expeditiores, quia cavæ, scuta alarum vice laxiora, ab ima parte ac paulatim in acumen desinentia, quibus latus tegunt, nam fere sine Contis pugnant, rari tunicas lamellis ferreis consutas gerunt, de cetero sagis oblongis & laxis velati galeas habent, sine buccula, sed lamina projecta pro buccula est, quam, cum falcatis ensibus cominus rem gerunt, ori tuendo attrahunt, malleis etiam ferreis & clavis utuntur, magno impetu primo irvehuntur, sed non servant ordinem, palantesque ac confusi à certamine redeunt, nec turpe existimant cedere loco, denuo post fugam pugnaturi.* Ubi tamen sciendum est, hanc descriptionem hodierno tempore non satis esse accuratam, cum milites Hungaricos arma & instituta militaria Anno 1572. suasu Georgii Comitis Serinii mutasse satis constet. vid. Zeiler. p. 13. Frolichius, quem citat. De Haydonibus, Heyduccis s. peditibus Casp. *Ens & ex eo Besold. d. l. 1. c. 1.* hæc ferre: *quod nec lorica nec galea utantur, vestitu etiam à rusticis haud parum differant, arma illis esse scloppum manuarium, quod Tschinkos vocant, vel hastam, vel à cingulo dependentem clavam, vulgo Tschakan, sagum villosum, vel ursi aut lupi pellem, mento adstrictam &c.*

Huc refero *Thraces Rascios* s. *Ratzios*, quorum magna in Regno est copia; etsi enim diversæ & Græcæ quodammodo sint Religionis, milites tamen sunt præstantissimi, nisi quod eam semper partem sequantur, cujus est victoria, & modo Turcici, modo Christiani Imperii jugum patiantur. vid. Zeiler. *tit. Neuhensel* p. 153.

Inter hos, qui maxime in bellis conducant, in dubio



dubio est. Peditum quod majus sit robur & utilitas, cum nec raro incommoda multa passi sint, qui non peditibus sed equitibus valuerunt, inquit Danæus *Aphorism. Polit. m. 351.* quia tamen ubique fere per Hungariam planities sunt, & apud Turcas quoque, si Janizaros excipias, nulli pedites, Clapmar. *de arcan. Imper. l. 2. c. 7.* cum commodissime iis artibus fallantur hostes, quibus fallere cogitant, Equitum potior laus est, citius parant victoriam, Tacit. *in German. c. 30.* suntque ad fugandum promptiores. Jun. *quest. Pol. 70. p. 2. p. 151.*

*Indictio* seu denunciatio belli, quam veteres *clari-gationem* dicebant, Alexand. ab Alex. *l. c. 3.* quamque ante bellum justum necessario requiri statuunt optimi authores, Hug. Grotius *l. 3. de I. B. & P. c. 3. §. 6.* Piccart. *Dissert. dec. 10. c. 10.* Befold. *l. 4. Admirand. c. 3.* apud Hungaros fit plerumque missione acinacis sanguine conspersi & literarum; quem morem observasse olim Romanos, ex Livio *l. 1. c. 32.* & Carthaginenses, ex Cælio Rhodino, *l. 21.* accepimus, qui hastam per fecciales ferratam & sanguine tinctam projicere aut ferre in hostium fines solebant; hodieque Turcæ in usu habent; ut præter multos Turcicorum rituum Authores testatur Experientia.

Affine bello Duellum s. Monomachia est, usitatissima in finibus Hungariæ & Dalmatiæ, dum Christiani cum Turcis ad ostentandam fortitudinem bini decertant, ut ait Stephanus Bojanowsky *in Apparat. bellic. §. 7.* Et extant in historiis quamplurima ejus exempla, quæ hic adducere operæ pretium non est, cum adhuc dum vel quotidie coram experiri liceat; vid. tamen  
Came-

*Camerar. Gene. 2. horar. observ. medit. 19. Rupert. ad Flor. l. 1. c. 3. §. 3.*

Porro ad instituta Militaria pertinuit olim, ut & Clerici ex necessitate militare tenerentur; id quod ex Annalibus Hungaricis & legibus constat. Cum enim Ludovicus Rex memorabili illâ, sed funestissimâ, ad Mohazium clade (cui vel ipse Amurathes illachrymatus esse dicitur, Thuanus *l. 1.*) periisset, omnes fere Episcopos, Presbyteros & clericos prælianti Regi adstittisse simulque omnes cum Archiepiscopo Strigoniensi Ladislao occidisse, testantur Bonfin. *l. 36.* Cromer. *l. 21.* Casp. Ens *l. 2.* Zeil. *p. 150.* vid. omninò artic. 21, Anno 1622, & art. 19. Albert. Decret. Id quod ex constitutione Casimiri tertii in Polonia quoque observari ex Statut. Polon. *p. 35.* planum est.

Etsi vel aliàs clericos militiæ commune privilegium eximat, Jun. *p. 2. q. Polit. 69.* necessitate tamen urgente excusari potest, quâ nemo liber est, cum trita Politicorum sententiâ privilegia omnia necessitate frangantur. Kekermannus *Disp. Polit. 34.*

Hac necessitate omnes Regnicolæ ad voluntatem Regis cum legione ejus corporaria, Leib Regiment / quod Hungari Banderium vocant, personaliter militare tenentur; *art. 1. Sigism. Decret. 5.* eos tamen Rex extra regni limites militare invitos cogere non potest, nisi quibus solvit stipendia; *Wladislaus I. art. 18.* quæ ex fisco vel Camera Regia exsolvuntur;

Hussari, nisi qui in præsidiis sunt, nulla accipiunt, & quivis suo lubitu in bellum aut abeunt aut manent domi, prout vel prædam opulentam vel nullam datum iri arbitrantur. Et tales milites Paribos olim habuisse ex Herodiano patet *l. 3. c. 1. & l. 6. c. 5. Spartanos ex*

Plu

Plutarch. *in Lycurg.* primisque temporibus Romanos usque ad obsidionem Vejorum ex Liv. l. 4. c. 59. *in f.*

Sed ut & de *premiis* eorum, qui fortiter se adversus Turcam gesserunt, aliquid memorem, nam & *premiis* boni in bellis efficiuntur, Liv. l. 4. c. 2. laudabile apud nos institutum est, ut, qui Turcam capite truncaret, unius aurei aut Imperialis precium acciperet; quod & *Serinium* b. m. fecisse narrat Zeiler. *d. tr. p. 460.* Et olim apud *Scythas*, nisi capite hostis oblato, miles *prædæ* particeps fieri non potuit. Alex. ab Alex. l. 6. c. 22. Idem mos *Græcis* observatus est. *Syracusani* publicè per *præconem*, qui *Hippocratis* aut *Epycidis* capita afferret, auro se ea repensuros promiserunt. Appian. *in Excerpt. ei resc. p. 559.*

Capita ista contis s. ludibus affiguntur, & in portis, vallis aut mœnibus publice ad terrorem hostis statuuntur, quod *Græcis* peculiari vocabulo est *ἀνὰ σταυρῶν*, docente Causaubono *ad Annal. Baronij XVI. 22.*

Huc facit jus Nobilitatis, itemque Equitum ordines, nec non insignia gentilitia, in quibus Lunas, acinaces, capita Turcica videre est; quæ in præmium fortitudinis & rei bene gestæ adversus infideles merentibus conferuntur. Boxhorn. *Polit. l. 1. c. 9.*

Denique, ut iis nunc quoque respondeam, qui Hungarorum in bellis animos traducunt, prima eorum prælia esse plusquam virorum, posthuma minus, quam fœminarum; *Phrasi* Liv. l. 10. c. 20. repetita à Thuano l. 17. p. 84. cedunt equidem loco, fugiunt etiam, ubi densior imber ingruit, sed post fugam denuo pugnaturi; cedere loco, dum modo instes, consilii quam formidinis potius est. Tacit. *in Germ. c. 6.* Demostheni  
E cum

cum est: *Ἀνὴρ ὁ Φεύγων καὶ πάλιν μα χήσειται;* & maluit Carolus Magnus, ut fugasse diceretur, quam ut periisse. Rupert. *ad Vellej. l. 1. c. 10. §. 3.*

Eapropter *Ludovicus, Rex Hungariae*, meritò temeritatis notam apud scriptores meruit, quod cum exigua tumultu ariorum manu contra exercitatissimas *Solymannicopias* in aciem prodire non sit veritus; *Busbequ. Epist. 1.*

Nec minorem *Exercitus Christianus*, qui, cum turcas ad *Agriam* vicisset, sed nimio prædæ studio intentus absque ordine & ratione diffunderetur, à victis victus est; *Richter Axiom. Polit. 262.*

Hodie tamen disciplina & ordinis militaris probè eruditi sunt, nec minùs ea callent quam nationes aliæ. *Casp. Ens d. l.* Et quidni? Assiduis enim bellis, *quasi cote, acuitur virtus;* *phrafi Flor. l. 2. c. 3.* & Hungari ob continuos Turcici prædonis metus vix, nisi armati, etiam vineas aut segetes invisere possunt; non secus, ac apud Helvetios & Leodienses etiam opifices armati ad operas accedunt. *Boxhorn. l. 2. Polit. c. 9.* Transimus itaque ad

## C A P. X.

De

### *Legibus, sive Jure Hungariae.*

**A** *Pud Majores nostros, ut Justinii verbis utar, l. 2. c. 2. justitia ingenius culta erat, non legibus.* Cujus illustre præbet exemplum *D. Andreas*, Justitiæ illud ad æternitatem miraculum. Ille enim, cum expeditionem Hierosolymitanam suscepisset, ob quam *Hierosolymitanus*

*tannus* appellatus est, conjugem suam, *Gertrudem*, domi relictam *Bancbano*, supremo suo Præfecto, commendavit, quæ odio adversus hunc exstimulata fratrem suum, ut *Bancbani* uxorem vitaret, admonuit & auxiliata est; quam cum Bancbanus interfecisset, tantum abfuit, ut reversus Rex ei succensuerit, nedum minatus sit, ut potius Justitiam laudaverit. *Thuroz. cent. 3. Casp. Ens l. 1. p. 36.*

Postea quoque in Hungariam leges invecæ sunt, & ut Regnum undique constitueretur, præter *militarem prudentiam*, quæ bellis ad pacem bene præest, *togata*, quæ in pace Rempublicam moderatur, adhibenda fuit. *Ferdinand. Wilhelm ab Efferen Manual. Polit. p. 175.* Adhibendæ leges fuerunt, *quæ fundamentum sunt, quo republ. fulcitur ac continetur.* *Vida l. 2. de Republ.*

Dee iis nunc tractaturus, divido eas in *Universales & Particulares.*

*Universales* in genere sunt, quæ universim omnes subditos obligant, *l. 3. C. de LL.* quasque condere supremæ Majestatis symbolum est; *l. fin. C. de LL.* idcirco & hîc illas præter Regem ferre nemo potest, consensu tamen Procerum Regni. Hinc Regni Statuta, decreta & articuli, non Regis solùm appellantur *v. p. 2. tit. 2. & 3.*

Tales sunt *Jus nostrum Tripartitum* decretaque Regum, quæ à *Stephano Verbetio*, viro literato & apprimè Juris perito, sed contentioso & ferè malorum Hungariæ excitatore, sicut eum *Istvamsius fol. 176.* appellat, jussu Regis *Ladislai*, à temporibus *S. Stephani* ad suam usque ætatem congesta, & in tres partes, unde *tripartitum* vocatur, digesta sunt.

Et quantum quidem à primis usque temporibus



colligere licet, apud Hungaros, sicut apud omnes gentes, ab initio Principis autoritas pro lege fuit. Boxhorn. *Polit. l. 1. c. 8. §. 2.*

Hinc observati consuetudinum tenores, arbitria Judicium & sanctiones principum, sed rudi formâ, quantumque facta illius ævi exposcere videbantur. Et hoc est, quod *magu* omnia à Regibus gubernata ab initio fuisse dicit Pompon. *Jct. l. 2. §. 1. de O. l.* Manu autem quod dicit (inquit Besold. *Dissert. de Libr. Jur.*) notat Reges ipsos solitos fuisse exercere Judicia, & ut quodque inciderat negocium, statuisset, quod æquum videbatur, absolutâ scilicet potestate; nec hoc Romæ solû, sed apud alias quoq; gentes usitatum fuisse. *c. 1. p. 1.*

Deinde leges etiam Romanæ & *Ius* in primis *Canonicum* in Hungaria observatum est, item novius Jus Saxonicum (sicut & apud *Polonos*) non vi obligationis, sed tanquam Jure assumpto; hodieque illud in nonnullis superioris Hungariæ Civitatibus vigere constat.

Ex his Juribus, tanquam ex fontibus, deduxit Jus Hungariæ Verbecius; ut patet *exp. 2. tit. 6.* his constitutiones junxit Principum, sententias Judicium & privilegia; quo sensu Jus nostrum vocat *Ius consuetudinarium & Municipale.*

Atque hoc Jus universale est & pro *communi civium utilitate conscriptum*; prolog. *tit. 6. §.* ergo omnes: quod ad sui observationem omnes obstringit, etiam Regem virtute clausulæ confirmatoriæ, secundum *art. 5. p. 2.*

Huc pertinent *articuli Regni*, qui, ut supra diximus, capitulationum ac recessuum Imperii instar sunt, & cum Legibus Tripartiti eundem valorem obtinent, ad eoque priores leges corrigere possunt, aut novum

Jus

**J** inducere. Sic enim, *ubi dua contraria leges sunt, antiquam abrogat nova*, Liv. 45. c. 32. l. ult. ff. de Const. Princ.

Universalis Legis vigorem habent etiam *transactiones, concordia, Pacificationes & Diplomata Regia*, quæ, quia universam Regni salutem concernunt, etiam universos ad sui observationem obligant.

Leges *particulares sunt Comitatum vel Civitatum propria, Land und Stadt-Recht* / item *collegiorum & familiarum*. Dubium enim non est, quin & Jure Hungarico quævis Civitas statuta sibi peculiaria facere possit; *part. 3. tit. 2.* Sicut & collegia quævis licita, modò in præjudicium alterius non vergant: tunc enim valor eorum nullus est, quia hæc statuta collegiatos solum ligant, non alios; *d. l.* Similiter & familiæ; secundum ea, quæ tradit Beth. *de pact. famil. illustr. c. 4.* Bes. *de jur. famil. c. 2. n. 2.*

Quid Jure communi & in Imperio Romano Germanico hac in re obtineat, docet Dn. Struve *in Syn- tagm. Jurispr. ad tit. ff. de const. Princip. 0. 42.*

Huc refero *privilegia*; quæ idcirco quasi leges privatorum dicta sunt, quod seorsim ac sigillatim constituentur; *c. privilegia 3. dist. 3.* quæ Rex solus concedere potest, cum solus legi derogare queat, qui legem potest constituere. Bodin. *l. 1. de Republ. cap. ult.*

Dividuntur communiter in *realia & personalia*; illa sunt, quæ rei vel causæ concessa ad quosvis possessores transeunt; hæc, quæ personis immediatè inhaerent, & sic cum illis extinguuntur. *l. 68. l. 106. de R. l.*

*Realis privilegii exemplum habemus in ditionibus ArchiEpiscopalibus*, quæ ab omni teloniorum sive tributorum pensione immunes esse jubentur, ex art. 16. Anno 1557. Talia quoque sunt privilegia nonnullorum Nobilium, in Civitatibus habitantium aut ha-

bentium bona, quibus annuæ exactiones singulari privilegio remissæ sunt, *Die ihre Gütter nicht versteu- ren dürfen. arg. l. 4. ff. de lur. immun.*

*Personale privilegium est, e. gr. quo pastores Eccle- siarum, etiamsi origine aut stemmate non sint Nobiles, Nobiles tamen fiunt, ita ut & bona Nobilitaria Paro- chiarum suarum possidere possint. vid. art. 1. §. ult. Anno 1608.*

Atque hæc de Jure *Universali & particulari, sed scri- pto; non scriptum* vocamus *consuetudinem*, sic dictam, *quasi communem suetudinem*; prolog. tit. 10. & definitur Jure communi, quod sit jus tacito Legislatoris consensu in- troducedum; l. 32. §. 1. ff. de LL.

Dividitur itidem in *Universalem & Particularem*; Il- la universalis, hæc particularis vim legis obrinet. Consuetudo enim & lex quoad effectum non differunt. d. §. 1. l. 25. ad Municipal. §. 9. Inst. de lur. N. G. & C.

*Universales* consuetudines sunt, quæ per totum Re- gnum Hungariæ observantur; de quibus videri potest tit. 6. p. 2. *Particulares* sunt, quæ in hoc vel illo duntaxat loco vigent. Sic in quibusdam superioris Hungariæ locis adulterium capitale esse testatur Zeilerus.

Officium consuetudinis est *interpretari, confirmare* l. 37. & seq. ff. de LL. vel *abrogare legem.* d. l. 32. §. 1. eod. §. 11. Inst. de I. N. G. & C. c. ult. X. de consuetud. Quomo- do vero in contrarietate legum & consuetudinum pro- cedendum sit, duabus regulis sed fusius explicat Ver- becicus in tripart. prolog. tit. 22. qui ad consuetudi- nis introductionem, præter actuum frequentiam, in Regno nostro statuit esse tempus decennii; d. prol. tit. 10. Jure autem Communi, quot debeant esse actus & quan- ta temporis diuturnitas, de quib. t. t. C. *que sit long. consuet.*



*consuet. & simil.* non exprimitur, ideoque hæc Judicis arbitrio committenda; *arg. l. 1. §. ult. ff. de iur. delib. nec,* ut contradictorio aliquando iudicio consuetudo firmata sit, præcisè requiritur. *arg. d. l. 32. §. 1. l. 34. ff. de LL.*

Huc tanquam species consuetudinis refertur *stylus* seu consuetudo circa processum Juris observata; *Bes. in delib. iur. ff. l. 1. n. 15.* Et in hoc à Germanis nimium quantum discrepant Hungari; ut videre est ex *peculiari tr. quem scripsit de process. iur. Kitionich. & ex Verbec. in prolog.*

Sunt autem in Regno Judicia & *universalia & particularia* quarumvis urbium & oppidorum, tum & Nobilium Comitatumq; constituta, ut causæ, sive graviores, sive faciliores occurrerēt, in majoribus aut minoribus conventibus deciderentur. Hinc *Iudex Curia, Iudex Tavernicorum, Iudices Diacesum (Landrichter) hinc octava & sedes,* quas vocant, ordinatæ sunt, ut legibus suis tenor constaret effectusque redderetur.

Prorogare hæc Judicia, inhibere, sive alia velit, constituere Rex potest, & Mandata sive *inhibitoria,* sive contra *præceptoria* (ut appellant) aliaque Juris remedia perentibus elargiri; ut patet ex *p. 2. tit. 50. & 77.*

Quo pertinent quoque Judicia *criminalia,* quæ competunt iis, quibus merum est imperium s. potestas reos vel absolvendi vel condemnandi, item appellationes & dispensationes; quæ posteriores soli Regi conveniunt & hinc inter Regalia numerantur, *p. 1. t. 59.* adeoque sibi solis nostri Reges reservant; ut testatur *Be-sold. delib. iur. ff. 1. p. 50. in med.*

Possent hîc singularia in infligendis pœnis statuta Hungarorum, tam & ordinationes peculiare (qualis illa est, quâ Rex Hungariæ omnibus Magnatibus, qui sine liberis decedunt, heres constitutus est, tripart.

*p. 1. t.*

1.

43

p. 1. t. 10.) annectere, sed, ne extra oleas vagari videar, ea præteriens.

*Concludo*, Deumque O. M. ingentibus & seriis suspiriis invoco ac precor, ut amplissimum hoc nostrum Hungariæ regnum porro custodire, & ab immanitate hostili ac Turcica rabie potenter vindicare, pacemque, quam moderno tempore nobis ex gratia largitus est, diurnare atq; perpetuam clementer esse velit, ut sub vite sua & fico quisque fructus colligere ac secure habitare queat. Satis grassatus est Nominis nostri hostis, satisque vidimus, in quantam peccata nostra abyssum felicissimum aliàs regnum præcipitaverint, non minùs id agnoscentes, quam ille ex Anglis per Gallos ( ut in horum est annalibus ) quandoque inde expulsis, qui, cum à quopiam ex iis, quando reversurus esset, interrogaretur, tum, respondit, cum peccata vestra nostris majora futura sunt. Boxhorn. l. 1. Polit. c. 16. Sancte DEVS, fortis, magne, terribilis, peccatorum hæc nostrorum pœna est. Tu quidem sædam gentem, cum tibi visum fuerit, infortunio & excidio mactabis. Hoc gementes sub tam fera tyrannidis jngo expectant à te christiani, hoc templa tua, qua vesani deleverunt, hoc denique justitia tua, cujus est tot innocentium sanguinem fusum, barbarorum libidinem & cetera nefanda belluarum istarum flagitia vindicare; sed hoc non faciunt fœdera nostra, Domine: Tu armabis manum ejus, quem elegeris; Tu facies Domine Zebaoth.

verbis Fortneri suppl. not. ad

Tac. p. 797.

*Ad*

Dissertationis hujus Dn. Autorem &  
Respondentem,

**T**Antam vel primis operam navare quod annis  
Juri etiam Patrio decreveris, ominor inde,  
Te Patriæ tandem, studiis sic continuatis,  
Commoda laturum magno cum fœnore multa,

PRÆSES.

F I N I S.







X 2615924

Vb 17







1872

Q. D. B. V!

FACIES

JURIS PUBLICI  
HUNGARIÆ,

PRÆSIDE

JOHANNÉ GRAVIO,

U. J. D. & P. P. h. t. Facultatis  
Decano,

*Publico examini submissa*

Die Augusti,

*loco horuque solitis,*

à  
JOH. ANDREA LOCHNERO,  
Sempr. Hungaro,



TUBINGÆ,

Typis JOHANN. HENRICI REISI,  
ANNO M. DC. LXVI.

33.

1.

1666/6.

4A

42

